

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis octavi - Fasciculus primus): Vol. VIII.

London, 1833

Seite 118

30

DIADELPHIA DECANDRIA.

TABULA 740.

EBENUS PINNATA.

EBENUS herbacea, foliis pinnatis 4—5-jugis cum impari, foliolis angustè ovalibus mucronatis, stipulis bifidis, caule adpressè pubescente, spicis sphaericis.

E. pinnata. *Prodr. v. 2. 92. nec Desfont.*

E. Sibthorpii. *DeCand. Prodr. v. 2. 351.*

Onobrychis orientalis argentea, fructu echinato minimo. *Tourn. Cor. 26.*

In Athò et Parnasso montibus. ♂.

*Radix* lignosa, ramosa, multiceps. *Caules* prostrati, sericeo-pubescentes, parùm ramosi, 1½—2-pedales. *Folia* internodiis breviora, sericea, pinnata; *foliolis* 3—4-jugis, angustè ovalibus, impari sessili. *Stipulae* membranaceae, testaceae, à petiolo et invicem liberae, apice bifidae. *Pedunculi* terminales, foliis longiores. *Capitula* sphaerica, densissima, multiflora. *Bracteae* subrotundae, concavae, pubescentes, calycibus breviores; exterioribus vacuis involucri speciem formantibus. *Calyx* roseus; *tubo* turbinato, pubescente; *dentibus* aristatis, plumosis, inferioribus longissimis. *Flores* laetè rosei, minùs purpurascens quàm in praecedente. *Vexillum* venosum, ovatum, obtusissimum; *ala* minima, pallidae, subcuneatae; *carina* avenia, ventricosa, ascendens. *Stamina* submonadelpha.

*Ebenus pinnata* vera differt stipulis indivisis, caule mollitè hispido, nec non corollà calyce breviorè.

a. Bracteae exteriores vacuae.

D. Vexillum.

G. Adelpia; omnes à C. ad G. auctae.

b. Flos integer.

E. Carina, cum alis.

C. Calyx.

F. Ala.